



Nf. 24.



102
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR,
CAROLVS GOTTLIEB
KNORRIVS,

POTENTISS. PRVSS. REGIS A CONSIL. AVL.
IVR. DOCT. ET PROF. ORDIN.

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE,
SENIORE

ET

RELIQVO SENATV
FELICITATEM ABRAHAMICAM,
IN ADIPISCENDO SPIRITVS
PROMISSO MAXIME
POSITAM,

CIVIBVS ACADEMICIS *dh.*

MEDITANDAM COMMENDANS

SOLEMNIA PENTECOSTES

INDICIT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL

Memorabile omnino, CIVES, Pauli Apostoli dictum est, & in primis dignum, quod redeunte hac Pentecostes solemnitate Vobis in animum reuocemus, dum: *Christus, inquit, nos a legis execratione adseruit, factus pro nobis execratiō, (scriptum est enim, execrabilem esse, quisquis ex patibulo pendeat:)* ut ad gentes felicitas (ευδωγία) Abrahamica perveniat per Christum Iesum, ut Spiritus promissum adipiscamur per fidem. (a) Tot enim ac tanta non modo verborum, sed etiam rerum pondera nervosius ediserit, ut salutis reparatae causam & rationem omnem, eiusque adeundae modum atque ordinem exposuisse videatur: ea quidem brevitatem, ut paucorum vocum ambitu comprehendat, quae longiore commentatione digne vix a quoquam possint explicari.

Nimirum, ut potiora momenta strictim tantummodo recensemus, haec illa sunt, quae sanctiori Vestrae eique vberiori meditationi volumus commendata: I. homines omnes, utpote quorum nullus steterit omnibus in legis libro scriptis, eaque praestiterit, EXECRATIONI fuisse SVBIECTOS, neminemque lege iustum apud Deum fieri potuisse; (b) II. CHRISTO servatore opus fuisse, qui solus NOS A LEGIS EXECRATIONE ADSERERE potuerit, idque vere praestiterit; III. effectum id ab illo non alia ratione, quam qua ipse ex cruce pendens FACTVS EST PRO NOBIS non modo execrabilis, sed quasi EXECRATIO ipsa; IIII. hoc ita futurum, id quidem diu ante esse significatum, DVMSCRIPTVM SIT, EXECRABILEM ESSE, QVISQVIS EX PATIBVLO PENDEAT, quo scilicet Spiritus DEI praescius in unum Christum digitum intenderit, eius figura in quovis de furca suspensio eminus ostensa; (c) V. itaque eum, cui formosissimo generis hominum fauerat benedixeratque Deus in perpetuum, (d) execrationem factam esse (e) eo & sine & effectu, UT reduceret summam illam FELICITATEM, quam summum Numen ABRAHAMO tot saeculis ante praedicaauerat, ei & omnibus, qui cum illo ista beandi essent, BENEDICENS; (f) VI. PER CHRISTVM solum, mortis illius piacularis merito eiusque beneficio, AD NOS PERVENIRE istam Abrahami felicitatem, quippe cui uni semini, Christo, non multis, promissa illa fuerit, ut tantum is, qui illum induerit, eiusque

(a) Gal. III, 13. 14.

(b) v. IO. II.

(c) Vid. B. RAMBACHII *Betrachtung über das Geheimnis des Gesetzes von den Erhängten*, additam eiusdem auctoris Commentationi germanicae in verba,

quae Christus ex cruce pendens protulit. VITRINGA *obss. sacr. l. II. c. XII.*

(d) Pf. XXXV, 3.

(e) Vid. LUTHERVS *Comment. ad h. l.*

(f) *Gen. XI, 34. 35.*

fit, ex promisso illo esse possit heres; (g) VII. ea felicitate in Abrahamo non
Iudaeos solum, aliis exclusis, sed OMNES in uniuersum GENTES, Deo praev-
idente ac praedicente, ita esse beandas, (h) ut nec Iudaei, nec Graeci ratio
ulla habeatur, sed omnes idem sint in Christo Iesu, modo sint Christi; (i)
VIII. felicitatem hanc in eo maxime positam esse, ut SPIRITVS PROMIS-
SVM ADIPISCANTVR omnes; VIII. denique hoc ipsum accipi PER FIDEM
ex auditu Euangelii conceptam & eidem tamquam orationi fidei adhibitam.

Haec sigillatim & per omnes sermonis particulas eundo ideo in
antece- sum exponenda duximus, ut totius argumenti campus amplissi-
mus eo magis pateat pia mente illum his diebus ingresurus &, quoad
fieri potest, emensurus. Ex his enim facile perspicimus, si Spiritus di-
vini donum his feriis, anniuersariae illius memoriae consecratis, recte
ac salutariter meditari voluerimus: necesse omnino esse, ut cogitando
reperamus, qua primum ratione cum iactura Spiritus DEI, cuius votes
cum ipsi imagine diuina primus homo acceperat, ex beatissima vita in
tristissimas miseria incidimus; ut perpendamus, quantae molis fue-
rit, salutem ac felicitatem, quam se nobis redditurum Deus amantissime
promiserat, recuperare, & quanti hoc constiterit Christo, qui in se istud
negotium perficiendum susceperat; ut proinde agnoscamus, quo pacto
huic Domino nostro soli reparatam salutem acceptam ferre, eamque il-
lius vnus beneficio consequi debeamus; ut discamus, qua ratione ex
nostra parte nihil aliud requiratur ad perfruendum parta illa felicitate,
quam ut fidem Euangelio adhibeamus & fiducia in Christo collocata il-
lum quasi induamus; ut denique perspiciamus, non nisi reddito nobis
DEI Spiritu refarciri posse beatissimae conditionis iacturam; quem si
adepti fuerimus, eo ipso constitutos nos heredes esse omnis illius ac sum-
mae felicitatis, qua per Abrahami semen gentes omnes beandas praedi-
ctum sit, non sane in honorum, opum, deliciarum & rerum caducarum
omnium adfluentia positae, sed caelestis, diuinae ac sempiternae.

Viam digito monstrauimus: quam si cui longius prosequi non
graue fuerit, faciet id sane, nisi omni harum rerum sensu destituitur, non
sine iucunditate; vtilitatem autem, si eorum cupidus est, procul dubio
percipiet longe maximam, Spiritu ipso docente intelligens ea, quae nobis
largitus est Deus, & quae praeparauit suis amatoribus; ea scilicet, quae
nec oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec animus cogitauit, (k) quae
vero in abdita sapientiae adyta admisso & cognoscenda & possidenda

A :

ex-

(g) Gal. III, 16. 27. 29.

(i) v. 28.

(h) v. 2.

(k) 1 Cor. II, 9. 12.

exhibebuntur. At nos, pro instituti ratione iam praetermissis reliquis, vnum hoc paullo curatius considerandum & excutiendum sumimus, quod scilicet *felicitas Abrahamica, quanta quanta est, maxime posita sit in adipiscendo Spiritus promisso*: quod Paulum dilectis verbis adfirmare, satis est manifestum.

Felicitas illa voce graeca a scriptore diuino *εὐλογία*, *benedictum*, adpellatur: quae est etiam ebraei in Mosis libris vocabuli proprietas. Neque omnino a re ipsa aliena est verborum *benedicendi* & *benedicti* significatio. Quando enim summa Dei gloria, iustitia, bonitas, etc. ab hominibus praedicantur & laudibus celebrantur: idem & in graeco & in ebraeo sermone loquendi modus adhibetur. Vicesim quando hominibus Deus benedixit, iidem deinde felicissimi praedicantur. (l) In eo autem est differentia, quod, quum DEO homines benedicunt, tribuunt ei id, quod ab omni aeuo eius proprium est: quum vero hominibus benedicit Deus, ipse iis ea bona confert, ob quae omni ex parte beati summo iure dici ac ab ipso laudibus ornari mereantur. DEI enim dicta non, vt humana, in auras abeunt; sed sunt ipsa facta. *Quod ipse dicit, id fit; quod iubet, existit.* (m) Quare si quem iustum, probum, felicem, beatumque celebrat: efficit, vt talis sit eo dicto iuo, cuius vis & efficacia per omnium saeculorum decursum non imminuitur. Si cui benedicite: verbo suo facit, vt is sit, cui ab omnibus bonis & tandem etiam ab ipsis hostibus benedicendum, & sapientiae, iustitiae, summaeque felicitatis gloria tribuenda sit. Quare etiam si diuini viri aliis fausta praecantes iis benedixisse in sacris litteris perhibentur: id eadem ratione, DEI quasi verbis, fecisse censendi sunt, quibus tamquam eius ministri pronunciarunt benedicta eius minime vana, sed quibus res ipsa effectusque responderet. Idem declarat execratio, cui *εὐλογία* & in se, & hic diversa ratione a Paulo opponitur: quae non verbis modo, siue a Deo ipso, siue a seruis eius illius nomine prolatis, constat; sed qua per verba illa omne poenarum genus ita infligitur, vt, qui isto execrationis fulmine feriuntur, vere sint maneatque tales, quibus, nisi tollatur ista, etiam ab omnibus aliis, imo a se ipsis aliquando sit maledicendum. (n) Quae quum ita sint, ipsa etiam *εὐλογία*, & *benedictum* diuinum & felicitatem omnem atque summam, ab execratione ereptis expectandam, vna voce simul complectatur est necesse. Non enim illa est nisi omne bonum, quod dicto DEI ita praedicatur, vt eodem simul in homines conferatur, eadem sane ratione, qua Deus effatus est. Id quod non frustra, sed eo

(l) Gen. XXVI, 12. sqq.

(m) Pf. XXXIII, 9.

(n) Sap. V, 13. sqq.

potius

potius finemoneamus: ut eo magis intelligatur, Deum arctissimo nexu maxima sua benefacta cum benedictis suis ita copulasse; quo fides hinc excitata illa omnia DEI sermone nixa adprehendere & tamquam diuina certo agnoscere possit.

Porro autem felicitas eadem *Abrahamica* adpellatur: quippe quam DEVS *Abrahamo* primum ita *promisit*, ut simul indicaret, *in femine ipsius*, hoc est Paulo interprete, *in vno* aliquo posterorum eius, praecipuo illo quidem, Christo, *omnes cum ipso gentes eadem beandas esse*; (o) quae promissa diuina Abrahamo aliquoties repetita nouimus, (p) Quod vero *ad omnes gentes peruenire* illa felicitas debeat: id satis docet, non intelligi posse tale quid, quod ad solos Abrahami posterios pertineat; ut numerosa proles, Cananaeae terrae possessio, & reliqua, (q) quae quidem umbram saltem aliquam rerum longe excellentiorum exhibuerunt. E contrario quod eadem *ad Abrahamum* eiusque familiam, & nominatim *unum aliquem ex eius gente fuit adstricta*, ita, ut non nisi per Abrahamum eiusque posteros, & denique non nisi per unum illum Abrahamus ipse cum sua progenie & reliquis populis omnibus eiusdem participes reddi possent: id manifesto satis prodit, non de florente rerumpublicarum statu, nec priuatorum felici conditione sermonem esse posse. Haec enim fors permutis omni tempore & gentibus & priuatis hominibus obtrigit: quibus vel nullum commercium cum DEI populo intercessit, vel qui aperti & infensissimi illius hostes fuere. Quid? quod hi ipsi prospero rerum omnium successu saepius illum longe superarunt: quo eo rectius intelligeretur, haec non esse, quibus DEVS Abrahamicam gentem reliquis excellere voluerit; nec omnino esse, cur sese alii propter haec ipsa illi adiungant. Longe aliam itaque atque ab ista prorsus diuersam & multo excellentiorem oportet esse felicitatem Abrahamicam, ad quam gentibus aditus offertur: quae scilicet ad meliorem potius & sempiternam, quam ad miseram hanc vitam pertineat; cuius quidquid in hoc etiam mundo conceditur, diuinae tamen ac caelestis indolis sit; & si cum illa nonnunquam etiam aliquid de communi probis aequae ac improbis prosperitate, DEO ita dispensante, adiciatur, id additamenti tantum loco habendum, nec cum vero & proprio huius promissi bono sit confundendum. In primis autem dum *feminae* mentio simul inicitur, cuius beneficio beandae sint omnes gentes: id ipsum clarius euincit, quod promissum fuit primis homini-

A 3

bus

(o) Gal. III, g. 16.

(q) Gen. XV, 5. 18.

(p) Gen. XII, 3. c. XVIII, 18. c. XXII, 18.

bus de mulieris femine, (r) nunc ita declarari, vt indicetur non modo, eum, qui hoc nomine olim sit designatus generis humani seruator, ex Abrahami posteris proditurum; sed eundem etiam, qui conculcaturus sit caput serpentis illius inimici, iacturam, quam per Adami delictum passi sumus, ita reparaturum, vt cum imagine diuina pristina felicitas, immo maior illa nobis restituatur. Atque id ipsum est, quod Apostolus ait, PER CHRISTVM ad gentes peruenire Abrahamicam felicitatem.

Idem vero statim addit, hanc esse illam felicitatem omnemque Abrahami ευλογίαν, vt Spiritus promissum adipiscamur per fidem. Quod Spiritus promissum ipsum quidem omnino notat promissum DEI Spiritum: quem DEVS olim tot vatum oraculis & quem tandem ipse Christus discipulis suis a Patre, quum ad eum abiisset, mittendum pollicitus est. Neque vero loquitur Paulus, recte monente CHEMNITIO, (s) de visibilibus illis & admirandis Spiritus donis, quae initio p. imis Christi discipulis data sunt; sed potius de Spiritu DEI ipso & omni ratione, qua ille non aliquibus tantum, sed omnibus Christo fidem habentibus promissus fuit, per fidem adipiscendus. (c)

Attamen videtur vir diuinus ideo dicere Spiritus PROMISSVM, non autem promissum Spiritum: quia, eodem CHEMNITIO interprete, explicaturus, quid Abrahamo promissum sit, Spiritus DEI donum id esse, quod reliqua omnia complectatur, docere voluit; idque eadem ratione,

(r) Gen. III, 15.

(s) CHEMNIT. in Loc. Theol. de lib. arb. c. VI. gr. I. de sensu horum verborum respondere aliquos, ait, Paulum loqui tantum de visibilibus & admirandis illis donis Spiritus S. vt idem sit, quod in Actis saepe reperitur, super credentes effusum esse; cecidi se Spiritum S. id est, visibilia dona Spiritus S. Sed, pergit, haec responsio plane remouet nobis: ex conspectu consolationem illius dicti, quasi peritum tantum ad breue tempus manifestum sit Paulum loqui IN GENERE DE PROMISSIO- NIBUS EFFICACIAE SPIRITVS S. EXPLICAT ENIM PROMISSI ONEM ABRAHAE DATAM, quae certe nec debet, nec potest restringi ad breue illud tempus, quo dabantur visibilia dona Spiritus S.

(c) Quae ratione dicatur per fidem nos

accipere Spiritum S. docet idem CHEMNITIVS l. c. Sed inquis: Non habeo fidem, & fide accipitur Spiritus S. Resp. Fides est ex auditu, & praedicatio Euangelii est ministerium Spiritus. Tunc igitur fide accipimus Spiritum S. quando audimus & meditatur vocem Euangelii. B. BREITHAVPTVS Theol. p. 128. Quando ad Gal. III, 14. dicitur PROMISSIO SPIRITVS PER FIDEM ACCIPI, fides opponitur legi, significat verum Euangelii usum. Hinc autem non fieri humanis viribus, dictum est ibidem v. 2 & 5. sed ita, vt Deus ipse EX AUDITU fidei subministrat Spiritum. Nihil ergo amplius hinc sequitur, quam audientibus verbum DEI, ipsiusque veritati & ordini hanc renitentibus, dubitandum non esse, quin & VERBO FIDEM, & PER FIDEM (cum Spiritu ipso) promissas SPIRITVS vires accipiant.

ne, qua Christus ipse de *Patris promisso* ante abitum in caelos discipulis ita loquitur, quasi praeter hoc vnum aliud nesciat; (u) & qua idem *bona omnia, quae Pater, qui in caelis est, daturus sit poscentibus se,* (w) in primis de *sancto Spiritu* alibi interpretatur. (x) Et apertum sane est, Paulo in iis, quae praecedunt, generatim sermonem esse *de beandis in Abrahamo omnibus gentibus:* (y) eundem porro *felicitatem Abrahamicam, ad gentes peruenturam,* adiectis statim verbis, *de adipiscendo Spiritus promisso* declarare: denique illum in iis, quae sequuntur, rursus de omni eo, quod *Abrahamo per promissum donauit Deus,* de omni *promisso per Christi Iesu fidem dando fidentibus,* & de omni *hereditate DEI ex promisso per Christum adeunda,* (z) verba facere. Complectitur itaque vno Spiritus dono omnem beatitatem ex promissione tamquam *DEI hereditatem* Christo fidentibus expectandam. Omnes enim *quantacumque DEI promissiones tales sunt, ut in Christo sunt etiam & sint ita, indito in animos eorum Spiritus arrhabone.* (a) Atque ad eundem modum Petrus etiam, prima post Christi in caelos adscensum habita concione, explicaturus, *quae dona,* hostibus in triumpho ductis, *accepisse inter nos distribuenda,* (b) Iesum, ait, *dextra DEI euectum accepisse sancti Spiritus promissum,* communicandum scilicet cum hominibus: ac proinde etiam *ad frugem redeuntibus vnum hoc sancti Spiritus donum adsequendum* pollicetur. Quid? quod, ad id omne, quod Abrahamo, in eoque & Iudaeis & gentibus promissum fuerat, non obscure eos remittens: *ad vos,* ait, *pertinet PROMISSIO & AD VESTROS NATOS, & ad omnes REMOTIORES, quoscumque aduocauerit Dominus DEVS noster.* (c) Quod postea clarius significauit: dum, *Vos,* ait, *estis ex vobis orti; & in eo foedere comprehensi, quod fecit DEVS cum maioribus nostris dum dixit Abrahamo, PER EIVS SEMEN FELICITANDAS ESSE OMNES TERRARUM NATIONES.* (d) Sic, *quum extranei sancti Spiritus munere perfusi essent; & DEVS eodem illos hoc munere donasset quo etiam antea Iudaeos:* (e) omne inter utrosque discrimen fuit sublatum, (f) atque eo ipso *hi alienigenae coheredes fuerunt, & participes diuini promissi in Christo.* (g)

(u) Luc. XXIII, 39. Act. I, 4.

(w) Math. VII, 11.

(x) Luc. XI, 13.

(y) Gal. III, 8.

(z) v. 18. 22. 29. c. III, 7.

(a) 2 Cor. I, 20. 22.

(b) Pl. LXVIII, 19.

(c) Act. II, 33. 38. 39. add. Eph. II, 13.

(d) Act. II, 25.

(e) c. X, 45. c. XI, 17.

(f) c. XV, 9.

(g) Eph. III, 6.

*aditum habentes cum reliquis PER VNVM SPIRITVM ad Patrem tamquam
sanctorum ciues & DEI domestici. (h)*

Nec minus solemne est in vatum oraculis, vt Abrahamo promissa ad sancti Spiritus donum principaliter referant. Vt ex multis pauca tantum, eaque illustriora recenseamus, *Iesaiam* audiamus, diuinam benignitatem, noui foederis tempore expectandam, his DEI verbis proclamantem: *Perfundam aqua sitientes, aridumque solum riuus; perfundam SPIRITV MEO tuam stirpem, meaque beneficentia tuam progeniem, ita, vt graminum more pullulent, tamquam ad aquam profluentem salices.* Et vt eo magis intelligas, remotas etiam gentes huius felicitatis Abrahamicae participes fore, statim additur: *Hic, alienus antehac a populo DEI, se Iebouae esse dicet; ille Iacobi nomine adpellabitur, licet ex alia stirpe oriundus; alius ex quacumque gente manu sua Iebouae scribet, seque Israelis nomine nuncupabit.* (i) Simili modo *Jeremias*, omnem rationem noui foederis & beneficiorum illius expositurus, meliora illius promissa, ipso Paulo interprete, (k) his verbis DEI nomine loquens comprehendit: *Indam meas leges in eorum mentes, inque eorum animos eas inscribam.* Quibus quid indicatur aliud, quam donum viuientis DEI Spiritus non in lapideis, sed in carnis animi tabulis legere describentis? (l) Vt autem Abrahamicam scilicet citatem respici sentiamus, mox adiicitur: *& EGO ERO EIS DEVS, & ipsi mihi populus erunt;* (m) quippe quod Abrahamo, vt deinceps videbimus, ipse DEVS primario pactus fuerat. (n) Apertius fere idem promissum *Ezechiel* eloquitur, dum hoc DEI oraculum profert: *Dato in pectora vestra MEO SPIRITV faciam, vt institutis meis pareatis, measque sententias conseruetis.* Quibus statim subiicit: *Et vos mihi populus, & VOBIS EGO DEVS ERO.* (o) Addamus vnum modo *Ioelem*, eo minus hic praeter eundem, quia eius testimonium a Petro in Pentecoste adhiberetur legitimus. Is vero DEI verbis: *Perfundam*, inquit, *omne genus hominum MEO SPIRITV; ac quicumque Iebouae nomen inuocauerit, (p) euadet exitium, salutis particeps futurus. Siquidem IN ZIONE monte ac HIEROSOLYMIS erunt, qui euadant: quemadmodum promittit Ieboua, ac IN RELIQUIS, quos Ieboua*
vocabit.

(h) Eph. II, 18. 19.

(i) Ies. XXXXIII, 3. 4. 5. add. Pl.
LXXXXVII, 4. 5.

(k) Ebr. VIII, 6. sqq.

(l) 2 Cor. III, 3.

(m) Jer. XXXI, 33.

(n) Gen. XVII, 7.

(o) Ezech. XXXVI, 27. 28.

(p) Ita simul indicatur Spiritum S.
per fidem adipiscendum esse. Conf.
Rom. X, 13-17. Act. XXVI, 16. 18. cap.
VIII, 17.

vocabit. (q) En! promissum DEI de salute omni gentibus aequae ac Iudaeis dato Spiritu suo conferenda, prout ab ipso Petro oraculum expofitum supra docuimus.

Satis putamus declaratum, eam fuisse mentem Paulo & reliquis scriptoribus sacris, in Spiritus promisso adipiscendo maxime positam esse Abrahamicam felicitatem. Sed vt hoc ipsum magis perspicuum reddatur, considerandum porro putamus, quae sit ratio felicitatis Abrahamicae, & quae bona illa, teste DEO eiusque Spiritu, complectatur.

Supra iam euictum est, non esse vulgarem illam, ad praesentem tantum vitam pertinentem, possessione rerum caducarum constantem, probis aequae ac improbis communem, & in morte saltem, si non prius, perituram: sed esse longe aliam, excellentiorem, caelestibus diuitiis cumulatam, soli DEI populo, & qui ei accensentur, propriam, & quae in hac quidem vita initium sumens post illam in infinita saecula sit perennatura; esse denique illam, quam soli Christo, ex Abrahami genere prognato, acceptam ferre ac per illum consequi debeamus. Si autem breuissime rem omnem & vno verbo eloqui velimus: hoc certe, vt diximus, non aliud est, quam quo summum Numen Abrahamo eiusque posteris promisit, *se ipsis DEVM futurum.* (r) Quod dictum adeo late patet, vt cum beata ipsius DEI possessione, quidquid est verae felicitatis & in hac & in futura vita, non modo comprehendat: sed eandem etiam, remittens ad foedus, quo Christo conciliatore DEVS nos sibi, seque nobis redditurus sit, ab omni alia, qua quis beatissimus etiam sibi videatur, accuratissime distinguar. Atque hinc est, quod DEVS haec verba creberrima repetitione Abrahamico populo toties inculcauit. (s) Hinc cum ipso Christo diuini viri, cum capite membra, de eo maxime gloriantur, quod *Deum suum* dicere possint, eumque habeant ac possideant. (t) Immo hinc ipse Christus, beatam post hanc vitam, qua ipsa aliquando corpora rediuiua cum animo fruitura sint, contra Sadducaeos adferturus, ad illum locum prouocat, quo *se DEVS Abrahami, Isaaci & Iacobi DEVM* illis iam mortuis dixerat: perspicue docens, sempiternam hoc ipso, quod viuis promissum fuerat, felicitatem contineri, (u) quae & animos post funera superstites, & corpora ex sepulcro reuocanda, Mosaico testimonio euincat.

Post summum hoc bonum duo in primis sunt beneficia diuina,

B quae

(q) Ioe. II, 28. 31. 32.

(r) Gen. XVII, 7. 8.

(s) e. g. Exod III, 6. XX, 2. Deut. V, 6. Pl. LXXXI, II.

(t) Pl. XVIII, 2. 3. Pl. XXXI, 15. Pl. LXIII, 1. Pl. LXXIII, 25. sq. Rom. V, 2. II.

(u) Matth. XXII, 32. add. Ebr. XI, 16.

quae continet felicitas Abrahamica, IUSTITIA scilicet & VITA. Prius
 illud ad eum referendum esse, dilerte testatur Paulus, adfirmans, quomodo
 denunciatum sit Abrahamo, in ipso beandas esse gentes omnes, praecisum
 fuisse, Deum per fidem IUSTIFICATURVM gentes. (w) Iustitia igitur, quam
 per fidem consequimur, primario pertinet ad felicitatem Abrahami-
 cam. Deinde dum negat idem datam legem esse, quae conferre possit
 VITAM, quo posito, plane in lege sita foret iustitia: eo ipso confirmat,
 promissum illud diuinum & iustitiam & vitam conferre; quae vita et-
 iam documentum sit, non in lege, sed in promissione diuina sitam esse ius-
 titiam. (x) Vita ergo altera praenunciatae felicitatis pars est. Aper-
 tissime alio loco vtrumque donum coniungit: & ita quidem, ut iis
 omnia reliqua complectatur. Si, ait, vnus delicto mors per vnum regna-
 uit: multo magis qui tam excellens IUSTITIAE beneficium atque donum
 fuerint adepti in VITA regnabunt per vnum, Iesum Christum. Et paulo
 post: Quemadmodum morte regnauit peccatum, sic gratia quoque per
 IUSTITIAM regnet ad sempiternam VITAM per Iesum Christum; (y) vbi
 simul per opposita mala, peccatum & mortem, bona illa declarantur.

Iustitia scilicet fidei est, quam Deus homini sine operibus ita tribuit,
 ut eum a culpa & poena delictorum omni absoluat, atque iam denuo
 dignum iudicet, cum quo societatem inire & secum sua omnia per-
 fruenda dare velit; sicuti per hanc fidei iustitiam Abrahamo eiusque po-
 steritati futura orbis, non huius, sed melioris, hereditas dicitur promissa.
 (z) Vita vero est ea, quae ex DEO est, (a) prima Adami culpa amis-
 sa, & cum iustitia tam arcto nexu coniuncta, ut in iis, qui hac donantur,
 illa etiam continuo instauretur. Vno verbo: ea consistit in imaginis di-
 uinae restitutione, hoc saeculo inchoanda, futuro autem consummandam.
 Non est haec vita caduca & mortalitati obnoxia, sed sua natura caelestis
 & sempiterna. Nec quoque nuda est omnibusque praesidiis ad bene-
 beateque viuendum destituta: sed potius, quod Pauli verbis dictum iam
 est, in ea vita, translata in regnum DEI, per iustitiam ipsi regnabimus, DEO
 ipso & omnibus illius thesauris aeternum perfruentes. Adhuc quidem
 illa vita cum Christo laetet apud Deum. Quam vero Christus, vita nostra
 ipse, patefcer, tum nos quoque cum eo patefemus in vita gloriosa. (b) Pau-
 cis: Duplici hoc beneficio, iustitia & vita, omnino continetur, quidquid
 Abrahamo promissum fuit; & si quid superadditum est, siue ipsi, siue
 posteris, id, quod initio statim monuimus, vnam tantum aliquam ve-
 rae illius felicitatis exhibuit.

Atque

(w) Gal. III, 8.

(y) Rom. V, 17. 21.

(a) Eph. III, 18.

(x) v. 21.

(z) c. III, 6. 23.

(b) Col. III, 3. 4.

Atque eodem duplici beneficio praestat DEVS id omne, quod pollicitus est, dum se *DEVM Abrahami & eius posterorum fore* adfirmavit. Duplici enim hac ratione se nobis fruendum praebet, quum scilicet in Christo & *iustitia nostra, & vita ipse fit*. Ipse tum *lehoua iustitiae nostrae, (c) ipse lehoua vitae nostrae robur est. (d)* Dum *iustitiam, quae filii tui, veri ac aeterni DEI, iustitia est, nobis tribuit: immenso nos adeo favore complectitur, vt nos in societatem beatissimae vitae suae adducat; in qua non finitis tantum donis, sed ipso summo atque infinito bono aeternum perfruamur*. Hinc etiam Iesaias hisce duobus verbis omnia comprehendit. Nam posteaquam dixerat; *Israelitae in lehoua, dum se iustorum DEVM praestat, sempiterna salute seruati, non pudore, non dedecore ullis adficiuntur saeculis: paullo post ita pergit, pñs lehouae sermonem proferens; Per me iuro, hoc ore iustum verbum proferens; mihi & omne genua flectetur, & omnis lingua iurabit; tantammodo IN IEHOVA, de me inquit, omnis IUSTITIA, & ROBUR vitae; in lehoua iustum fiet, seque iactabit ob iustitiam & robur omne semen Israelis. (e)*

Sed quorsum haec omnia tendunt? Eo nimirum, vt perspicue ostendamus, quod nobis propositum fuit, *Spiritus promissum omnem felicitatem Abrahamicam complecti*. Si enim illa non nisi haec duo, *iustitiam & vitam*, continet, per quae fit, vt *nosler omnino sit DEVS: sequitur sane, si Spiritus donum vna confert & iustitiam & vitam, idem facere, vt in DEO tamquam nostro gloriari possimus, idemque adeo omne punctum ferre in tota illa Abrahamica felicitate*. Atque omnino ita Evangelium *utrumque* Christi beneficium, *iustitiam & vitam*, delictorum absolutionem & renouationem imaginis diuinae, in *vno sancti Spiritus dono* complectitur. (f)

(c) Ier. XXIII, 6.

(d) Pf XXXVII, 1.

(e) Ier. XXXV, 27. 23. 25.

(f) B. BREITHAVPR. Theol. p. 222. Christum utamur vt dono & exemplo. Quocirca obseruandum, vt donum interpretemur non tantum remissionem peccatorum, sed etiam simul vires spirituales, ad exemplum Christi exprimentum ab ipso acquisitas nobis & necessarias, hoc est, totam benedictionem, seu Spiritus promissionem. IDEM Instit. T. II. p. 190. Est igitur remissio & sanctificatio res promissa propter Christum, dicta, etiam hac ratione vno vocabulo, tametsi gemino respe-

B 2

Attente

tu, PROMISSIO. Gal. III, 14. Conf. T. III. p. 437. IDEM Theol. p. 120. sq. Remissio peccatorum est (redemptionis) fructus remotionis, vt ne peccata in foro diuino obstent gratiae viribus conferendis atque obsequandis: positum est sanctificatio seu regeneratio. Haec est benedictio Abrahamae, quae non nisi in Iesu Christo; promissio Spiritus, quae non nisi per fidem accipitur: nec multis, sed vni facta, nempe Christo, in quo nulli spectantur alii, nec remissionem peccatorum aut benedictionem consequuntur, nisi qui ipsius Spiritum habent. Conf. eiusd. Instit. Theol. T. II. p. 27.

Attente sane legentē totam orationis Paulinae feriem luce meri-
diana clarius fiet, id docere Apostolum, gentibus promissum Spiritus
adipiscētibz id euenire, quod scriptum est: *IUSTVS ex fide, VIVET*, hoc
est, & *iustitia & vita* eas donatas *ex promisso heredes ipsius DEI esse*. (g)
Idem in epistola ad Titum (h) his verbis dicit: *Pro sua misericordia ser-*
vavit nos DEVS, lauacro renascentiae renouationisque SPIRITVS SANCTI,
quo nos large perfudit per Iesum Christum, seruatorem nostrum, et eius,
Christi, beneficio *IUSTI FACTI, sicut heredes VITAE, quae speratur, ae-*
ternae. En vtrumque DEI donum, Christi beneficio in nos deriuatum!
En vtrumque larg. ter perfusus Spiritu sancto simul exhibitum! Et quid,
quaesumus, est *communio Spiritus sancti*: nisi id, quod per hunc DEI
Spiritum *communitatem habemus cum Patre, DEO nostro, & eius filio Iesu*
Christo; particeps redditi & gratiae Iesu Christi, ex qua *iustitia* donatur,
& *DEI amoris*, (i) ex quo fonte omnis *vita & salus* profluit. Nolumus,
breuitati studentes, hic repetere, quae supra ex Ieremiae (k) & Ezechie-
lis (l) oraculis adlegauimus; quibus aliisque eiusdem generis locis quili-
bet idem dici facile intelliget, nimirum cum dono Spiritus sancti ardis-
sime coniungi vtrumque beneficium & remissionis peccatorum & reno-
uationis, atque tum addi summum illud, quo omnia continentur, pro-
missum: *Ego vobis DEVS ero*.

Sed vt per singulas quasi partes eamus, quo eo magis elucescat sa-
crarum litterarum testimoniis, qua ratione diuina beneficia omnia in il-
lo dono conueniant: ipse ille *SANCTVS SPIRITVS* initio est, *per quem e*
caelo missum nunciata nobis sunt in Euangelio. *quae cupiunt ipsi angelē*
perspicere, salus illa animorum, quam exquisierunt & perscrutati sunt
vates, qui de conferendo in nos beneficio vaticinati sunt. (m) Secundum
hanc Euangelii doctrinam principio nos *Deus elegit ad salutem per SPIRITVS*
SANCTI purificationem fidemque veritatis, (n) *qua fide Iesu Christi*
sanguine conspergamur. (o) *Secundum hoc suum decretum & beneficium*
Deus nos vocat sancta vocatione ad illam ipsam salutem, (p) cui qui dicto
obedientes non sunt, *SPIRITV SANCTO contraveniunt ac resistunt*: (q)
qui autem ei obediunt, ab illo in ecclesiae Christi communionem reci-
piuntur, *& eandem cum is sortem accipiunt, qui fide Christo habita sancti*
facti fuerunt. (r) Ille nimirum, postquam *mundum arguit de peccato,*
maxi-

(g) Gal. III, 11. 29.

(h) c. III, 5. 6. 7.

(i) 2 Cor. X II, 13. 1 Ia. I. 3.

(k) c. XXXI, 33.

(l) c. XXXVI, 26. 27. 28.

(m) 1 Petr. I, 10. 12. Ebr. II, 3. 4.

(n) 2 Thes. II, 13.

(o) 1 Petr. I, 2.

(p) 2 Tim. I. 9.

(q) Act. VII, 51. (r) c. XXVI, 18.

maximè eo, quod Christo fidem non habet: (s) *tamquam SPIRITVS SAPIEN-
TIAE & patefactionis auctor, mentis oculos fidei luce illustrat; vt, qui an-
tea miseriam suam agnouerunt, sciunt etiam, quid sperandum sit vocatis a
Deo, & quam locuples glorioaque sit hereditas eius, destinata sanctis.* (t) Ipse
ille, quos *litera*. hoc est, legis ministerium, occidit, animi morte patefacta,
suo SPIRITVS ministerio viuificat. (u) Ipse a Deo datus animos fide pu-
rificat. (w) sanguine Christi adspersos: & in iis regeneratis regnum DEI
instaurat, quod est iustitia, pax & gaudium IN SPIRITV SANCTO. (x) Tum
ille Christi gloriam illustrat, sumens de eo, quod Christi est. & nobis expo-
nens. (y) Tum animi nostri DEI amore perfunduntur PER SPIRITVM
SANCTVM nobis datum. (z) Et si DEI iam SPIRITVS in nobis habitat, su-
mus in Spiritu, cuius adfectio vita est & pax. (a) Si quis hunc Christi SPI-
RITVM habet: is solum Christi est, & Christus in eo est. (b) Nemo vero
est, qui Dominum possit Iesum dicere, nisi PER SPIRITVM SANCTVM. (c)
Non carnis, sed SPIRITVS arbitrio parentes, ii sunt in Christo Iesu, nullique
iam damnationi obnoxii. Nam lex SPIRITVS VITALIS in Iesu Christo libera-
uit suo ipsius filio misso, carne fontis simili; in cuius placuit facti carne
damnauit peccatum vt nos a damnatione absolueremur, Spiritus posthac
obtemperantes. (d) Qui itaque SPIRITV DEI aguntur, ii DEI filii sunt: (e)
neque sunt amplius sub lege, nec eius execrationi subiecti. Prodeunt enim
in illis SPIRITVS FRUCTVS, caritas, gaudium, pax, clementia benignitas,
bonitas, fides, lenitas, continentia. Contra talia non est lex. (f) Ita dum SPI-
RITVS fructus apud eos augetur quotidie, in omni bonitate, iustitia & ve-
ritate consistens, mentis suae spiritu a Spiritu sancto renouantur ac nouum
hominem induunt, conditum diuinitus cum iustitia veraque pietate. (g)
Quid? quod detecta facie splendorem Domini quasi purificatum speculum
recipientes in eandem transformantur imaginem splendore cum incremen-
to perpetuando, tamquam a DOMINI SPIRITV. (h) Vbi is DOMINI SPIRI-
TUS est, ibi est vera ac summa libertas. (i) Itaque ubi is est, non iam ser-
uus est, sed filius: quod si filius, etiam heres DEI per Christum. (k) Is Spi-
ritus omnem metum seruilem expellit. Est enim non seruitutis SPIRI-
TVS

B 3

TVS

- (s) Io. XVI, 8. 9.
(t) Eph. I, 17. 18.
(u) 2 Cor. III, 6. sq.
(w) Act. XV, 9. 1 Cor. VI, 11.
(x) Rom. XIII, 17.
(y) Io. XV, 14.
(z) Rom. V, 5.
(a) c. VIII, 6. 9.
(b) ibid. v. 9. 10.

- (c) 1 Cor. XII, 3.
(d) Rom. VIII, 1. 2. 3.
(e) ibid. v. 14.
(f) Gal. V, 8. 2. 23.
(g) Eph. III, 21. 24. c. V, 9.
(h) 2 Cor. III, 18.
(i) ibid. v. 17.
(k) Gal. III, 7.

IVS ad metam: sed ADOPTIONIS, per quem clamamus, Abba Pater! Is ipse
 SPIRITVS animis nostris testatur, nos esse DEI liberos; quod si liberi, eodem
 teste, sumus etiam heredes, heredes. aimus, DEI, Christi autem coheredes. (l)
 Hoc SVO SPIRITV DEI nobis non modo patefecit, quae praeparauit suis
 amatoribus: (m) sed eodem etiam, quo hos vixit SANCTO SPIRITV promissio-
 nis, illos consignauit ad perfectae liberationis diem; quid? quod eundem
 SPIRITVM arrhabonem animis illorum indidit, qui pignus sit hereditatis ipso-
 rum ad adferendam ipsis partam possessionem. (n) Hinc per hoc ipsum
 summi pretii pignus intelligunt, se habere in hoc etiam mundo penes se
 ipsos opes caelestes & durabiles. (o) Divina luce coluibrati caeleste donum, &
 participer SPIRITVS SANCTI praeclara DEI dicta, Christi que verba vitae ae-
 ternae (p) & aevi futuri virtutes gustant. (q) Itaque gustu hoc, fiducia at-
 que spe, salutem ac felicitatem futuram iam iam possident. Attamen
 regenti in vitam spem norunt, immortalem, impollutam & inuictam here-
 ditatem sibi in caelis esse repositam: & diuina Spiritus sancti potentia se cu-
 stodiri ad salutem ultimo tempore exhibendam. (r) Hinc in sanctis sibi fi-
 de sua PER SPIRITVM SANCTVM se exaedicantes & in DEI charitate con-
 seruantes s) praeclarum illud depositum salutis per SPIRITVM etiam SAN-
 CTVM in ipsis habitantem seruant ac tuentur. (t) Dum vero id, quod non
 cernunt, sed sperant, per patientiam expectant; & gemunt, domicilium
 suum caeleste superinduere cupientes: ipse SPIRITVS succurrit eorum in infir-
 mitatibus; pro ipsis supplicans gemitibus inenarrabilibus. (u) Nam &
 SPIRITVS & sponsa vno ore dicunt: Veni; etiam veni, Domine Iesu, ad ma-
 nifestandam tuam tuorumque gloriam. (w) Ipso arrhabone SPIRITVS da-
 to DEVS eos iam paratos reddidit, ut malint a corpore abesse & apud Do-
 minum adesse. (x) Idemque facit, ut, dum moriuntur, placide Domino
 suo fidentes obdormiant. Et vbi iam ad Dominum abiere; praedicat
 felicitatem, ad quam peruenerunt, exclamans: Beati mortui, qui in Do-
 mino moriuntur. Si deinceps (AD FIRMAT SPIRITVS, hoc ipso significans
 suas sui se & esse partes in danda illa beatitate,) a suis requiescunt labori-
 bus, & sua eos comitantur opera. (y) Tandem etiam fiet, ut is, qui Chri-
 stum excitauit ex mortuis, etiam mortalia ipsorum corpora reuocet in vitam
 per inhabitantem in ipsis SPIRITVM SVVM. (z) Tum gloriosus & DIVINVS
 SPIRITVS, qui eos hic insedit, (a) eos omnino gloriosos & diuinos quasi red-

(l) Rom. VIII, 15. 16. 17.

(m) 1 Cor. II, 9. 10. 12.

(n) 2 Cor. I, 22. c. V, 5. Eph. I, 13.

c. III, 10.

(o) Ebr. X, 34.

(p) Io. VI, 68.

(q) Ebr. VI, 4. 5. (r) 1 Petr. I, 3. 4. 5.

(s) Iud. v. 20. 21.

(t) 2 Tim. I, 14.

(u) Rom. VIII, 24. 25. 26. 2 Cor. V, 2.

(w) Apoc. XXII, 17. 20.

(x) 2 Cor. V, 8. Phil. I, 23.

(y) Apoc. XIII, 13.

(z) Rom. VIII, 11. (a) 1 Petr. III, 14.

det, ut fulgeant sicut fulgor aethereus: sintque stellarum similes in omnem terram aeternam. (b) Aqua illa viva, qua, tamquam DEI dono a Christo accepta, & abluti sunt & recreati, ut deinceps non unquam sitirent; aqua illa, quae facta est in eis fons scaturiens in vitam aeternam: (c) tum ab illis cognoscitur ut vitalis aquae purus fluvius, limpidus instar crystalli, manans ex DEI & agni folio, (d) cui sancta voluptate ebrui quasi immergentur. Tum oleum illud lacticias. (e) quo in sacerdotes & reges uncti per Christum fuerunt, efficiet, ut, qui solas suas agni sanguine perluerunt & dealbarunt, tamquam sacerdotes, sint ante DEI solium, cumque dies & noctes in templo eius colant, (f) tamquam reges simul regnaturi in omni saecula. (g) Tum felicitas Abrahamica erit consummatissima, quam DEVS ipse dicet: *Victor nunc possidebit omnia; eique EGO DEVS ERO, & ipse mihi filius erit.* (h) Nam si in hoc iam mundo eum in nobis manere cognoscimus esse Spiritu, quo nos donavit, (i) primitiis eius modo acceptis; (k) si illo nos inhabitante iam & animus & ipsum corpus nostrum DEI viventis templum est; immo si per illum Domino fide copulati unus spiritus sumus: (l) quanto magis tum, ubi plenissima eius mensura concedetur, & nos in DEO, & DEVS in nobis manebit; euenietque inde id, quod Christus praedixit: *Ego quam Tu, Pater, mihi gloriam dedisti, eis dedi, ut sint unum, quomodo nos unum sumus, ego in eis, & Tu in me, ut perfecti sint in unum.* (m) Eo usque extenditur augustum illud Spiritus promissum! (a)

Atque ut in summam tandem omnia colligamus, Christus obedientia sua & suppliciiis, quibus execratio pro nobis factus est, non modo peccata nostra suo sanguine expiavit, sed etiam dona summa, aeterna ac maxime diuina nobis promeruit: quae omnia felicitas Abrahamica uno verbo dicuntur. Atque inter ea non modo primarium est Spiritus promissum: verum istud etiam ita est comparatum, ut eo nobis dato, re ipsa data sint reliqua omnia. Ipse Spiritus, quoscumque Christus thesauros nobis adquisiuit, solus patefacit & dispensat: nec quidquam eorum, nisi illius.

(b) Dan XII, 3. (c) Io. III, 13. 14.

(d) Apoc. XXI, 1. (e) Pl. XXXV, 3.

(f) Apoc. VII, 14. 15.

(g) c. XXII, 5. (h) c. XXI, 7.

(i) 1 Io. III, 24. (k) Rom. VIII, 23.

(l) 1 Cor. III, 16. 17. c. VI, 17. 19. 20.

(m) Io. XVII, 22. 23.

(n) Hinc in LIBR. SYMB. p. 497: opus Spiritus S. ita describitur: Sancti si aere nihil aliud est, quam ad Christum adducere, ad suscipiendum bona per Christum nobis parata, ad quae per nosmet ipsos per-

venire nunquam possemus. - Quae autem re illud facit, aut qua ratione quodammodo ad hoc vitur spiritus sanctus? Resp. nlio: Per Christianorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem & vitam aeternam. Conf. p. 500. sq. It. p. 372. In qua ecclesia nihil & omnibus Christianis omnia peccata benignè remittit, & nos omnes in extremo die a morte suscitabit, & omnibus in Christum credentibus vitam aeternam dabit.

illius opera, siue intelligitur, siue accipitur. (o) Non autem, quasi absens, eminus illos ad nos mittit: sed quo magis animus noster ipso illo repletur, eo magis infinita Christi opulentia per eum & in eo possidetur. Ipse, qui *vinculum sacrosanctae Trinitatis* a veteribus ecclesiae doctoribus dictus est, (p) *vinculum* etiam, in mentes nostras missus, existit, inter DEVM & homines, istud denuo arctissimo nexu copulans, quod hostis fraude in diuersissima fuit distractum. Ipse nos ecclesiae corpori inferens cum capite eius, Christo, atque in illo cum DEO Patre rursus coniungit. Quemadmodum vero omne malum nostrum ex separatione a Deo originem trahit; immo in ea, si facta fuerit plenaria, complementum habebit: ita omnis beatitas non modo oritur ex intima cum DEO coniunctione & beatitatis eius communione, sed in eadem est & summum fastigium consequitur, si ista perfecte restituta fuerit, & nunquam deinceps rescindenda. Quare quum Spiritus S. nobis datus nos non solum in numerum ciuium & domesticorum DEI referat; sed etiam cum Christo & in illo cum Patre ita copulet, vt DEO redditi DEVM, in eoque omnia habeamus, & illo cum in hac vita, tum maxime post illam aeternum perfruamur: dubium sane nullum superesse potest, Paulum iure summo *in hoc vno felicitatem Abrahamicam ad gentes etiam per Christum peruenturam possuisse, vt Spiritus promissum per fidem adipiscamur.* (pp)

Quae quum ita sint, CIVES, quid est, quaesumus, de quo magis nobis

(o) Hinc recte canimus: *Was Christus nach des Vaters Rath am Creuze: Stamm erworben hat, das theilet aus der Heilige Geist: darvon er unser Lehrer bei st.* Docendo enim dat, & dando docet. CAETECH. MAIOR libr. Synb. ed. Lips. p. 496. *Neque ego, neque tu, quidquam de Christo scire possumus, aut in eum credere, aut pro Domino consequi, nisi per Euangelii praedicationem SPIRITVS SANCTI OPERA nobis offerretur & vltro donaretur.* - Opus quidem ipsum completum est. Christus enim thesaurum nobis impetrauit & peperit sua passione, morte & resurrectione. Verum si hic in occulto manens delitesceret, nec quisquam aliquid de eo exploratum haberet, nemini esset vsus, sed plane inutilis & deperditus. Ne ergo eiusmodi thesaurus sepultus iaceat, sed eo in usum verso fruatur homines, DEVS verbum suum emisit praedicandum &

diutulgandum omnibus, in quo *Spiritum S largitur est, vt eiusmodi thesauri nos faceret copotes.*

(p) Conf. B. ANTONII *Programma de almo SS. Trinitatis vinculo*, in *Programma* a Rev. I. A. MAIERO editorum fasciculo p. 377.

(pp) Meminimus, B. MACARIUM nostrum hoc argumentum saepius attingere & aliquoties vberius tractare. Verba ipsius adscribere cum chartae angustia non permittat, pagellas saltem annotandas duximus, vbi ea facile inueniri, nec sine fructu & delectatione insigni legi a quoquam poterunt. Vid. Ed. Prutiana in *Homil.* III. p. 71. V. p. 78. sqq. XVIII. p. 45. sq. XVIIII. p. 296. sq. XXIII. p. 322. XXX. p. 415. sq. XXXI. p. 427. XXXVII. p. 462. sq. XXXVIII. p. 507. sq. Et in *Opusc.* p. 117. 124. sq. 142. 146. 167. 211. sq. cct. Haec ex multis!

nobis cogitandum est in anniuersaria hac solemnitate, quae memoriae miseri
visibili & admirando modo Spiritus sancti est dedicata, quam ut nos etiam sum-
mi huius beneficii participes reddamur, atque in eo ipso consequamur felici-
tatem ac beatitatem illam, qua per Christum impertiendi sunt omnes, qui mo-
do bonis ab ipso partis ditari volunt, sed non aliter, quam ut hunc ipsius Spi-
ritum illis benignissime oblatum ab eo primum accipiant.

Eheu! quam multi sunt, qui illo non modo carent dono, sed oblatum et-
iam adhu repudiarunt turpissime. *Mundus veritatis Spiritum neque videt, ne-
que cognoscit.* (q) Hinc nec ex eo vllus intelligere potest, quae DEVS & iam lar-
gitus est, & in futuro aevo suis praeparauit amatoribus. (r) Animalis enim ho-
mo non capit, quae sunt Spiritus diuini, quippe quae sunt ei stultitia. (s) Omnem
itaque, qui tales sunt, felicitatem populi DEI & praesentem & futuram ex suo
sensu metiuntur. Non aliam norunt, quam vulgarem huius saeculi, in quam in-
ruentes exclamant: *Beatus populus, cum quo sic agitur?* Id vero quid sit, pror-
fus ignorant, quod ad haec a Spiritu diuino regeritur: *Beatus potius populus,
cuius Iehoua Deus est.* (t) Illud est genus alienorum (u) a DEO & eius populo
hominum, cuius infelicissimam conditionem pluribus locis sacrae litterae de-
plorant. (w) Hi sua sorte contentos se futuros existimant, dummodo rerum
caducarum possessio sempiterna concederetur. Nec sane aliter sentiunt de
futuri aevi felicitate, quam eiusdem eam indolis fore cum ea, ex qua iam vo-
luptatem capiunt, & quam perpetuam exoptant. Hinc tandem fit, vt, dum
componere non possunt, quae maxime inter se pugnant, de iis, quae Spiritu
DEI carentes nec capere, nec intelligere possunt, primum dubitent, vsque dum
eo saepe insaniae procedunt, vt cum antiquis illis irrisoribus (x) aliam, quam
huius vitae felicitatem, nedum in hac vita aliam, praeter suas illas voluptates
belluinas, fluxamque diuitiarum, honorum, auctoritatis gloriam, consequen-
dam esse, prorsus negent atque derideant. *Haec cogitant & falluntur!* (y)
Sanctus enim Spiritus disciplinae ab imperitis his cogitationibus abigitur. (z) Ita
non modo hi, sed omnes illi improbi, qui voluptates magis, quam Deum, a-
mant, (a) foederibus promissionis carentes, spem non habentes & Dei expertes in
mundo viuunt. (b) O miserimos homines animales, terrenos, a diuinitate alie-
nos, & Spiritum non habentes! (c) *Similes sane sunt, Petro teste, animalibus ra-
tionis expertibus, naturaliter in praedam interitumque natis. De iis, quae igno-
rant, male dicunt, in sua corruptela perituri & iniustitiae praemium laturi, (d)
dum eis domicilium futurum est orcus.* (e)

Inueniuntur vero etiam alii, qui quidem existimant se beneficiorum Chri-
sti esse cupidissimos & nihil magis expetere, quam remissionem peccatorum &

C

sempit-

(q) Io. XIII, 17.

(r) I Cor. II, 8 9. (s) V. 14.

(t) Ps. CXXXIII, 15.

(u) V. II.

(w) Ps. XXXVII. XXXVIII. LXXXIII.

(x) Sap. II, 1. sqq. (y) v. 21. (z) c. 1, 5.

(a) 2 Tim. III, 4.

(b) Eph. II, 12. (c) Iud. v. 19.

(d) 2 Petr. II, 12. 13.

(e) Ps. XXXVIII, 15.

sempiternam animi salutem: quid? quod putant saepe fidem, de utroque se iam factos esse certissimos. At separant illi ista a Spiritus promisso, de quo adipiscendo omnino solliciti non sunt: seque ipsos fiducia sua, quam se in Christo habere putant, misere decipiunt. O utinam illi cogitarent potius, quod *nemo Iesum possit dicere Dominum, nisi per Spiritum sanctum*: (f) & quod, *qui Christi Spiritum non habet, non sit Christi*, (g) neque adeo vllam in hereditate caelesti partem habeat. O utinam vel ex puerili institutione isti repeterent, SPIRITVM SANCTVM ESSE, qui *peccata benigne quotidie remittat, & in Christum credentes extremo die excitaturus sit a morte, iisque vitam aeternam daturus!* Quibus? Non aliis profecto, quam quos regenitos ad spem viuendam in hac mortali vitam antea inhabitauit, & in quibus vera iustitia & sanctitate diuinam imaginem renouauit.

Propterea itaque paulo vberius prosequuti sumus illud ipsum, scilicet Abrahamicam felicitatem in adipiscendo Spiritus promisso maxime positam esse: primo quidem, vt, quam fieri posset efficacissime, omnium animis infingeremus, etiam cogitatione longissime seiungendam esse beatam vitam populi DEI ab omni eo, quodcumque non inde pendet, quod DEI Spiritum rursum accipiamus, eiusque beneficio id consequamur, vt *noster denuo sit Deus*, non terrenis & caducis, sed caelestibus bonis, imo se ipso nos exsatiaturus. *Mundani enim mortales sua habent in hac vita: Deo eorum ventres de sua penuria replente, vt satientur inde nati, reliquiasque suas posteris suis relinquunt.* At cui melior fors obtingit, is Deo dicit: *Ego per iustitiam videbo tuum vultum, tum satiandus, ubi expereffus a morte fuero, tua ipsius imagine, longe maxima voluptate me replente.* (h) Deinde vero ideo etiam id inculcandum putauimus, vno Spiritus dono Euangelium condonationem & imaginis diuinae renouationem: vt quilibet intelligeret, non modo neutrum nisi accepto Spiritus promisso haberi, sed nec alterutrum nisi alteri coniunctum esse posse, quum illud ipsum Spiritus promissum vtrumque contineat & simul in nos conferat. Quare qui illum Spiritum non adipiscitur, non modo a vera sanctimonia alienus est, sed nec peccatorum veniam consequitur. Vicissim quisquis *fide iustificatus pacem habet cum Deo*. (i) vitae, quae ex Deo est, expers esse nequit. Eaque ipsa testatur iustitiam fidei ei datam. Non enim nisi per hanc aditus ad eam vitam patet, quae sola iam est coniuncta cum beatitate illa vera, Domino aduentante tantummodo patefacienda & consummanda.

Magnopere itaque Vos omnes ac singulos, qui, teste conscientia Vestra, nec accepistis Spiritum promissum, nec tantum adhuc agnoscitis bonum, obsecramus atque per salutem Vestram Vos obtestamur: ne profano animo summam istam DEI dotem contemnere, siue parum de ea solliciti esse pergatis, neve vana spe Vos deludi ab hostibus Vestris patiamini, quasi salui esse positis

(f) 1 Cor. XII, 3. (g) Rom. VIII, 9. (h) Ps. XVII, 14, 15. (i) Rom. V, 1.

imaginaria fiducia Christi, licet Spiritum eius, beneficia illius ad Vos adlaturum,
 perpetuo a Vobis repellatis. O miseram Vestram hanc conditionem! *Viventes
 mortui estis*, (k) quamdiu sine Christi Spiritu vivitis. Et profecto siue illo po-
 tiundum Vobis est, siue audienda etiam Vobis aliquando vox illa tremenda iu-
 dicis Christi: *Nunquam cognovi vos; facessite a me, malefici!* (l) *Facessite a me
 execrabiles in ignem sempiternum!* (m) Sed o beatos Vos, si cum vno hoc prom-
 isso Spiritus acceperitis delictorum omnium condonationem, & *ex morte in
 vitam transieritis!* (n) Qua autem ratione id debeatis consequi, pluribus his
 ipsis diebus a publicis Euangelii praeconibus edocebimini. Adeste igitur sacris
 concionibus frequentes atque animo attento. Sermo fidei, hoc est, Euangelii
 nunciatus est, quo & offertur & confertur donum S. Spiritus: at non aliis omni-
 no, quam iis, qui se execrationi legis obnoxios agnouerunt, & ab ea per Chri-
 stum liberari demisso animo petunt. Si itaque, vt Petri auditores, animo vere
 compuncti (o) peccata serio detestemini ac defleatis: tum in his paucioribus ex au-
 ditiu Euangelii fiducia concipietis, per quam adsequamini donum S. Spiritus.
 Ipse enim laeto gratiae nuncio salutem per Christum partam patefacit: ipse effi-
 cit, vt ei fidem adhibere possitis: ipse per hanc fidem animum Vestrum ingredi
 vult. Atque hac ratione experiemini, accepto illo dono Vos ex malo omni ere-
 ptos salutis vere composites factos esse, & eo ipso pignore certos reddi de caele-
 stis hereditatis beatissima ac sempiterna possessione. Quare Vos iterum ite-
 rumque amantissime cohortamur, ne Vestris commodis ipsi obsteris. Quin po-
 tius in hoc vnum omnia Vestra desideria, preces, immo lacrimas etiam & gemitus
 conferte: vt his diebus, quibus beneficia sua Deus cum memoria eorum re-
 nouare paratus est, audito laeto Christi nuncio Vos etiam Spiritus hoc promissum,
 atque illo donati iustitiam simul ac vitam aeternam consequamini. Vobis
 enim, *remotisimis etiam ad se aduocatis*, testatisimum esse vult Deus optimus
 maximus, *ad Vos etiam pertinere omnem hanc prouisionem.* (p)

Sed, o Vos longe beatissimos, qui Spiritus promissum iam adepti estis!
 Vobis a Deo ipso benedicitur. Vobis benedicendum merito ab omnibus probis.
 Vobis benedicent aliquando, qui iam Vos ridet, ipsi hostes. Vos *Christi estis*,
 inde agnoscitis, *quia Spiritum Christi habetis.* (q) *Si vero Christi estis: ergo Abra-
 hami estis semen & ex promisso heredes* omnis felicitatis, quam foedere ei pactus
 est Deus. (r) *Si Vos Christi estis, omnia Vestra sunt, & vita & mors, & praesentia
 & futura* (s) *Regnum Dei in animo Vestro iam constitutum est, quod est
 iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* (t) *Vobis etiam large suppetet aditus
 ad aeternum Domini & seruatoris nostri Iesu Christi regnum per eundem Spi-
 ritum.* (u) *Quacumque die ex hac vita migraveritis, eritis cum Christo.* (w) *At-
 que*

C 2

(k) 1 Tim. V. 6.

(m) c. XXV. 41.

(o) Act. II. 37.

(l) Matth. VII. 23.

(n) 1 Io. III. 14.

(p) Act. II. 39.

(q) Rom. VIII. 9.

(s) 1 Cor. III. 22.

(u) 2 Petr. I. 11.

(r) Gal. III. 29.

(t) Rom. XIII. 17.

(w) Phil. I. 23.

que is per Spiritum, qui Vos inhabitauit, excitatis a morte: *Adeste, dicet, beati Patris mei, possidete paratum Vobis regnum ab orbe condito.* (x) Paucis, Vobis, a Christo cum Spiritu suo *iustitia & vita* donatis, ipse Deus & iam Deus est, eritque in sempiterna saecula: amicitia, quae omnis rationis caprum excedit, ita Vos sibi copulans, vt vnus, per gratiam communicati sui vobiscum Spiritus, *fitis Spiritus.* (y) in intima ista coniunctione non donis modo illius, sed ipso aeternum fruituri.

Agite igitur, agnoscite Vestram felicitatem, cuius accepto Spiritu Dei participes facti estis: & in ea exultate. Si infirmi nonnunquam fitis: *ipse Spiritus infirmitatibus Vestris succurret, vt nihilominus sciatis, amantibus Deum omnia in bonum conferre.* (z) Ipso vero Spiritu pro Vobis supplicante gemitibus ineffabilibus, suscite & Vos dotem Dei, qua praediti estis; (a) ipso instigatore adfide clamantes: *Abba, Pater!* (b) Per fidem, hoc est, audito Euangelio, quod est Spiritus ministerium, ipsum Spiritum adepti estis. Eodem sermone Christi, *si large in Vobis habitet.* (c) dotem hanc augeri posse scitote. Accedite igitur, dum per plures dies laeto hoc nuncio sacra rostra personant. Irrigamini vberius effuso imbre caelesti, ac recreamini. Huc sitientes adeste, & Domino porrigente sumite gratis aquam illam vitae, (d) vt ea in animo Vestro fiat scaturigo saliens ad vitam sempiternam, (e) Nec tantummodo cauete, ne sanctum Dei Spiritum contristeris, quo consignati estis, pignore accepto hereditatis Vestrae, ad plenariae liberationis diem: (f) verum etiam repleamini magis magisque eodem Spiritu, pleno alueo omnia dona diuina secum aduehente. Spiritu pleni colloquentes inter Vos carminibus Deique laudationibus & diuinis cantionibus Dominum ex animo canentes & cantantes: Deo & Patri semper & pro omnibus gratias agite in nomine Domini nostri Iesu Christi. (g) Tandem, o carissimi, in sanctissima Vestra fide per Spiritum Vos ipsos exaedificantes. Deoque supplicantes, Vos in caritate Dei conseruate, expectantes Domini nostri Iesu Christi misericordiam ad vitam aeternam. (h) Ipse Deus pacis, pacem suam suo Spiritu Vobis impertiens, Vos sanctos reddat & absolutos, integrique Vestri spiritus, & animae & corpora criminis expertia in aduentum Domini nostri Iesu Christi conseruentur. (i) Ei vero, qui Vos seruare, & expertes delicti ac inculpato in gloriae suae conspectu cum laetitia sistere potest, soli sapienti Deo, Seruatori nostro, gloria & magnitudo, imperium & potentia, nunc & in omnia saecula. (k)

Ita Domini Iesu Christi gratia, & Dei amor, & sancti Spiritus communitio Vobis adsit omnibus. Amen. (l)

(x) Math. XXV, 34.

(z) Rom. VIII, 26. 28.

(b) Rom. VIII, 15.

(d) Apoc. XXII, 17.

(y) 1 Cor. VI, 17.

(a) 2 Tim. I, 6.

(c) Col. III, 16.

(e) Io. III, 14.

(f) Eph. III, 30.

(h) Iud. v. 20. 21.

(k) Iud. v. 24. 25.

(g) c. V, 18. 19. 20.

(i) 1 Thess. V, 23.

(l) 2 Cor. XIII, 13.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





ACADEM
P
CAROL
K
POTENTISS.
IVR. I
CANCEL
R
FELICITA
IN AD
PR
CIV
SOLEM
IMPR

108
IANAE
LIEB
NSIL. AVL.
DIN.
CTORE,
V
AMICAM,
RITVS
ME
ICIS *dh.*
S
COSTES
E,
PHEL

